



**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||
quatuor.||**

Durandus <de Sancto Porciano>

Antverpiæ, 1567

Quæstio secunda. Vtrum habuisset omnes virtutes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)

¶ AD primum argumentum dicendum quod mors spiritualis prior est quam corporalis, quoad actum quem priuat, sed melior est secundum aptitudinem quam in subiecto relinquit, ratione cuius potest se disponere ad recuperandum vitam gratiæ, non autem nature.

¶ Ad secundum dicendum quod nullus venit usque ad Deum, nisi per gratiam quam solus deus infundit si sit habituale donum: tamen potest homo ad Deum tendere, præparando seipsum abique alio speciali adiutorio quam quod dictum est.

Sententia huius distinctionis, xxix.
in generali & speciali.

Post hoc considerandum est. Superius Magister determinavit de gratia absolute. Hic determinat de ea in comparatione ad statum primi hominis. Et primo determinat statum primi hominis quoad gratiam & virtutem. Secundo determinat penam peccati ipsius. Tertio movet quandam incidentem dubitationem. Secunda ibi, in illius quoque peccati, Tertio ibi, potest autem queri vtrum de ligno. Hæc est sententia in generali, &c.

¶ **I**N speciali sic procedit. Et proponit primo querendo primo, vtrum homo in statu primo indigeret gratia. Et respondet quod indiguit homo gratia non per quam liberaretur a malo, quia peccatum non habebat, sed habebat unde stare poterat, sed gratiam per quam efficaciter moveretur in bonum non habebat, nec unde posset proficere. Querit etiam vtrum haberet virtutes, & licet quidam dicant quod non, tamen dicit Magister quod habuit, quod ostendit per autoritates. Post dicit quod in penam peccati ipsius exclusus est homo a loco deliciarum, & a ligno vite, per quod poterat in æternum vivere, non post peccatum sumendo, sed tantum ante. Et soluit quandam autoritatem quæ videtur facere in contrarium, scilicet, quod si etiam post peccatum sumpsisset, viveret in æternum. Subdit etiam quod ad impediendum reditum hominis in paradysum apposta est angelica & ignea custodia, scilicet cherubin & flammeus gladius, atque verfatilis, per quæ significatur quod homo ad vitam non debebat redire nisi per cherubin, id est, per plenitudinem scientiæ, scilicet charitatem, & per gladium verfatilem, id est, per tolerantiam temporalium passionum. Vltimo querit vtrum ante peccatum de ligno vite comederit, & si comedit, quare non fuit factus immortalis. Et respondet Magister quod comedit, sed immortalitas non conferebatur, nisi per frequentem ligni esum. Et in hoc terminatur, &c.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum in statu innocentie homo indigerit gratia.

Tho. 1. 2. q. 109. ar. 2. 3. & 4.

Circa distinctionem istam queritur, primo. Vtrum in statu innocentie homo indigerit gratia. Et videtur quod non, quia pena non præcedit culpam, sed carentia visionis diuinæ est quædam pena, ergo hanc non incurrisset homo in statu innocentie: dato quod gratiam non habuisset.

¶ **I**N contrarium est quod dicitur Rom. 6. gratia dei vita æterna, ergo in quolibet statu ad consequendam vitam æternam necessaria est gratia.

¶ **R**ESPONSIO. quauis homo in statu innocentie conditus fuerit in gratia, tamen non necessario indiguit ea ad consequendum statum illum, indiguit tamen ea ad meritum vite æternæ. Primum patet, quia status innocentie non amittitur nisi per culpam, sed illam poterat homo vitare sine gratia vt dictum est supra. 23. dist. quæst. 3. quare &c. Secundum sic patet, omne meritum vel est de condigno vel de congruo, sed ad meritum de condigno requiritur gratia habitualis, ad meritum autem de congruo requiritur gratia quæ est acceptatio diuina vt ostensum fuit supra di. 27. qu. 2. ergo &c. Item ad illud ad quod aliquis non potest peruenire ex natura sua oportet peruenire ex alterius gratia vel dono gratuito quod est idem, sed ad visionem diuinæ essentia in qua consistit vita æterna homo non potest peruenire ex propriis naturalibus, ergo oportet quod ad hoc perueniat ex alterius dono seu gratia.

¶ **A**D argumentum in contrarium dicendum quod carentia visionis diuinæ potest intelligi dupliciter. Vno modo negatiue, & sic non est proprie pena, sed defectus totam naturam creatam consequens, nulla enim natura creata est ex se sufficiens ad visionem diuinam qualem expectamus, & sic carētia visionis diuinæ fuisse in homine ante peccatum si gratiam non habuisset. Alio modo potest sumi priuatiue vt intelligatur quædam obnoxietas ad carentiam visionis diuinæ & sic est pena, nec fuisse in homine ante peccatum.

QVÆSTIO SECUNDA.

Vtrum in statu innocentie homo habuisset omnes virtutes.

Tho. 1. 2. q. 109. ar. 1.

Postea queritur, vtrum in statu innocentie homo habuisset omnes virtutes. Et videtur quod sic, quia virtus est dispositio perfecti ad optimum vt dicitur. 7. Phis. sed in statu innocentie homo fuisse maxime perfectus, ergo habuisset omnes virtutes.

¶ **I**tem nullus ex culpa sua debet reportare comodum, si ergo in statu innocentie caruisset virtutibus cum post peccatum perficiatur per eas, tunc homo ex peccato contra modum reportasset, quod est inconueniens.

¶ **I**N contrarium est quia quædam virtutes habent pro materia passionem respicientes malum, vt fortitudo quæ est circa timores, sed huiusmodi passionem non fuissent in statu innocentie ergo nec tales virtutes.

¶ **R**ESPONSIO. virtutum quædam sunt theologice, quædam intellectuales, quædam vero morales. De theologice dicendum quod fuissent in statu innocentie, cuius probatio est quia respectu actus in quem potentia non potest per se, vel non prompte & faciliter, oportet in potentia ponere habitum eleuantem, vel tollentem difficultatem, sed intellectus humanus & voluntas non possunt per se in cognitionem articulorum, & in spem futurorum bonorum vel non prompte & faciliter, vt patuit in præced. dist. quæst. 1. ergo respectu talium actuum oportet ponere in nobis aliquem habitum eleuantem potentias vel tollentem difficultatem. Si vero loquamur de virtutibus intellectualibus, sic dicendum est quod fuissent in statu innocentie, quia illud quod ex puris naturalibus potest acquiri, & quod est simpliciter, melius est esse quam non esse, illud fuisse in statu innocentie in quo nullum bonum deerat quod bona voluntas posset adipisci (vt dicit Aug. 14. de ciui. Dei) sed virtutes intellectuales sunt huiusmodi, ergo &c.

¶ De virtutibus autem moralibus, sciendum quod quædam sunt circa operationes, vt iustitia & liberalitas & huiusmodi, quædam autem circa passionem moderandas. De primis dicendum quod fuissent in statu innocentie per eandem rationem quæ dicta est de virtutibus intellectualibus, quia simpliciter melius est tales habere quam eis carere, nec excedunt facultatem naturæ quin ex principiis naturalibus possint acquiri, virtutes autem morales quæ sunt circa passionem ponentes in eis medium & moderantes eas inter excessum & defectum non fuissent in statu innocentie nec fuissent necessariae, nisi mouantur pertinuis ad rationem originalis iustitiæ, vel formaliter vel virtualiter. Cuius ratio est, quia respectu illius actus non oportet potius aliquem habitum, respectu cuius potentia nullam habet indeterminationem, & nullam patitur difficultatem, sed in statu innocentie appetitus sensitius nullam habuisset indeterminationem, & nullam difficultatem in appetendo secundum rectam rationem, imò plenè & prompte obediisset rationi: hoc enim habuit conditio illius status, ergo in illo statu non fuissent necessariae virtutes, quæ ordinantur ad moderatiam passionum, nisi forte dicatur quod huiusmodi virtutes intrinsece pertinebant ad rationem originalis iustitiæ, vel formaliter vt aliqui putant, vel virtualiter, & ita non fuissent acquisite, sed innate vel infuse, nec essent virtutes morales, sed quasi naturales, nisi propter similitudinem actuum, ad quos inclinantur.

¶ Et si diceret aliquis quod simpliciter in primo statu non patiebatur quis difficultatem in operibus quæ sunt ad alterum, vt sunt iustitiæ. Dicendum quod verum est: inerat tamen

men

men possibilis indeterminatio, quia licet haberet homo rectitudinem voluntatis ad deum & proximum, poterat tamen ab ea deficere, non autem à rectitudine appetitus sensitivi, nisi præcedente defectu rectitudinis voluntatis. Vnde possumus formare talem rationē, ubi est solū vnus modus ex natura determinatus, nec est possibilis alius: ibi non est necessarius aliquis habitus, sed respectu passionū appetitus sensitivi fuit vnus solus modus in statu innocentie ex natura determinatus, natura dico vt instituta fuit, nec fuit alius possibilis durante primo statu. Non enim potuit ferri appetitus sensitivus in suum obiectum, nisi secundum dictam rationem, ergo respectu passionū non fuit tunc necessarius aliquis habitus. Maior patet ex his quæ dicta fuerunt supra de habitu, dist. 26. q. 2. Minor similiter declarata fuit supra, dist. 21. q. 4. cū quæreretur, Vtrum in statu innocentie potuerit homo peccare venialiter, sequitur ergo quod nulla virtus moralis circa passionē existens, fuisset in statu innocentie. Præter hoc autem est specialis ratio de his quorū obiecta omnino non fuissent, vt de fortitudine tangebatur in arguendo.

7 Ad primum argumentum dicendum quod in statu innocentie homo fuisset maxime perfectus etiam secundum appetitū sensitivum magis quā nunc, sed illa perfectio fuisset innata seu infusa, & nō acquisita. Vnde non fuisset habitus, vt nunc loquimur de habitu.

8 Ad secundū dicendum quod homo ex peccato nullum in hoc reportat commodum, quia perfectionē quam nūc habet tractu temporis, & difficultate acquirendi tunc habuisset à principio plenius & altiori modo quoad illa quæ respiciunt passionē appetitus sensitivi.

QVÆSTIO TERTIA.

Vtrum in statu innocentie opera fuissent magis meritoria quā modo.

Thom. 2. q. 95. ar. 4.

DEinde queritur, vtrum in statu innocentie opera fuissent magis meritoria quā modo. Et videtur quod nō, quia difficultas operis facit ad augmentum meriti. Vnde & virtus est circa bonum & difficile, sed modo difficilius est bene operari quā prius, ergo &c.

2 Item bonū additū bono totum facit melius, sed nūc est meritū essentiale ex radice charitatis, cui additur meritum accidentale ex difficultate operis. Et istud nō fuisset in statu innocentie, quare &c.

3 IN CONTRARIUM est, quia quāto aliquid est purius, tāto est melius in illo genere, sed in statu innocentie merita fuissent puriora, quā non fuissent permixta cum demeritis sicut modo, ergo &c.

4 **R**ESPONSIO. Comparatio meritum, de qua nunc agitur, potest fieri vel secundum totum statum, vel secundum particularē personam vtriusque status, si secundum totum statum, sic dico quod merita status innocentie & status moderni sunt æqualia, quia quantitas meriti innolescit ex quantitate præmiū, sed præmiū saltem essentiale est idem & æquale quod cōferretur pro meritis moderni status, & quod collatum fuisset pro meritis status innocentie si durasset, ergo &c. Minor probatur, quia præmiū quod reddetur pro meritis status moderni est quod erianus æquales angelis dei, in gloria, tunc autem non fuisset præmiū maius, quia natura humana nō est dignior angelica, nec minus, quia nō esset ignobilior instituta quā desinita, quare &c. Si autem in statu moderno ipse Christus includeretur, tunc merita status moderni excederēt merita status innocentie, nullus enim in statu innocentie peruenisset ad æqualitatem gratie & glorie Christi.

5 Quantum autē ad meritum accidentale quod est ex difficultate operis, sicut in martyrio vel virginitate, non est dubium quod merita moderna excedunt merita quæ tunc fuissent. Si autem fiat cōparatio meritum personarum singularium status pristini & moderni, sic dicendū quod tantum possunt homines mereri nunc quantum tunc, sed non ita faciliter. Quod patet, quia ubi nullum est retrahētium à bono, ibi voluntas promptius & facilius fertur in bonum, sed in statu innocentie nullum fuit retrahētium à bono, sicut modo est in nobis ex repugnantia carnis ad spiritum, ergo &c.

6 Veruntamen quia eadem principia bonæ operationis (scilicet ratio & voluntas) sunt in nobis quæ fuerunt in illo statu, nec deest gratia seu acceptatio diuina bonis operibus nostris, sicut nec bonis operibus aliorum defuisset, manifestum est quod quæ bene potest nunc operari, sicut tunc, licet non quæ facilius, quæ difficultas aut non auget meritum, quia non est ex natura operis, sed conditione operantis, vel si auget illud pertinet ad meritum accidentale, non essentiale.

7 Per hoc patet. Ad primum argumentum.

8 Secundum etiā argumentum solum probat quod merita status moderni excedunt merita status innocentie, quo ad merita accidentalia. Quod autem in contrarium dicitur quod merita nostra sunt mixta demeritis falsum est, licet enim in nobis sint merita, sint etiam demerita: non sunt tamen permixta, vt ex demeritis inouantur merita extensiuē vel intensiuē, licet fructus eorum impediatur vsque ad solutionem reatus demeritorum.

Sententia huius distinctionis. XXX.
in Generali & Speciali.

IN Superioribus insinuatum est. Superius determinat Magister corruptionē humanæ naturæ per peccatū in primo homine. Hic verò determinat qualiter peccatum sum ista corruptione in posteros deuenit. Et diuiditur in quatuor. Primo inquiritur peccati ordinem & quidditatem. Secundo eius traductionem. Tertio ipsius remissionem. Quarto eius aggrauationem, scilicet an peccatum primum parentum aggrauaretur. Secunda ibi, in princip. dist. 1. nunc superest inuenire. Tertia ibi in princip. 2. dist. quoniam supra dictum. Quarta ibi, in princip. 3. dist. ibi prædictis adiciendum. Prima est presentis lectionis, & diuiditur in duas. Primo determinat suum intentum, Secundo excludit obiectiones contrarias. Secunda ibi, vnde Augustinus Iuliano. Prima in tres. Primo inquiritur, an sit originale peccatum. Secundo quid sit quātum ad genus mortis, vtrū scilicet culpa an pœna. Tertio quid est quātum ad genus naturæ. Secunda ibi, quod diligenter inuestigandū. Tertia ibi, nunc superest videre. Secunda principalis, in qua excludit quæsdā obiectiones, diuiditur in tres, scilicet cum tres obiectiones quas excludit. Secunda ibi, Item inquit Iulianus. Tertia ibi, ad hoc autē quod diximus. Et hæc est sententia & diuisio lectionis in generali.

2 IN Speciali sic procedit, & proponit primo, quod ex peccato primi hominis pœna & peccatum in posteros transit, & hoc est originale peccatum: quidam autem inintellegunt peccatum ab Adam transisse in posteros, non quod educatur ab eo per originem, sed per imitationem: circa quod dicit in hoc Magister errare Pelagium: si enim per solam imitationem diceretur peccatum eius in nos transisse, multo magis debet in nos peccatum transisse à dæmone, quem primo peccantem postea imitatur. Postea queritur quid sit originale peccatum, & dicit quod secundum quosdam originale peccatum nihil aliud est, quā reatus quidam, quo homines sunt obligati ad pœnam pro peccato primi parentis, secundum tamē veritatem, originale peccatum ponendum est esse originale culpam à principio per originem traductam. Postea dicit quod ista culpa non est actus hominis, sed est quedam concupiscentia vitiosa mala desideria in nobis excitata, quæ aliquando languor naturæ dicitur, & aliquādo lex membrorum, vel tyrannus vel lex carnis nominatur, & ex inobedientia dicitur omnes traxisse peccatum, id est, malam habilitatem. Postea dicit quod Iulianus hæreticus querit per quā viam tale peccatum subintrat patre non peccante, nec genito, nec etiā conditore. Et responderet Aug. quod per inobedientiam primi parentis. Vltimo querit quomodo potuimus omnes esse in Adam secundum carnem, in quo non fuerunt tot athomi quot homines ab eo processerunt. Et responderet Aug. quod materialiter vel carnaliter in eo fuimus: alia quid autē ab eo decisum est, ex quo sine alterius materiæ additione per solam multiplicationē in ipso generatum est corpus filii. Et sic per similem decisionem factam à parentibus multiplicatū est genus humanū vel hominū, & nihil omnino exterius adueniens transit in veritate humanæ naturæ, quod probat per auctoritatē euāgelicā, & etiam

In. 1. d. 1. q. 2. quest. 2.

2. 3. pet.